Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 857
Quelle:
Copyright:

συμβολῶν ad Chorographiam Sec. XIII. adſcribam: *Vntlinge. Mitichurſpringen. Nevheim. Hevelde. Heft. Tanting. Altheim. Similſperc. Tipating. Waginheim. Stephingen. Awarn. Schachen. Tanperc. Elphawe. Mundloing. Eichinloh. Wiſing. Meſindorf. Mulheim. Rabinſwanc. Hohenrevt. Steindorf. Frosheim. Gralingen. Hettperc. Prunnadir. Zigiheige. Tetting. Chalbah. Witintal. Tancholſing. Megilpah. Hymiltal. Spreide. Hermvting. Fluoter. Vorbach. Tanheim. Chogil. Michilperge. Horborc. Gunzſwant. Speche. Rabſwant.*

Fol. 149. ſuccedunt Homiletica quaedam in diverſa Evangelia depromta e *Bedae* cum *Homiliis*, tum *Expoſitionibus*, ut leguntur T. V. et VII. edit. *ſupracit.* non tamen ſine interpolatione. Claudit agmen Lectionarium *in Nativitate Sanctę Dei Genitricis Mariae*, quod cenſet *Lectiones* VIII. et incipit: *Adprobate conſuetudinis eſt aput chriſtianos ſanctorum patrum dies natalitios obſeruare diligenter.* &c. neque ſapit Autorem de antiquioribus. Ad calcem rurſum adſcripta ſunt quaedam de Coenobii poſſeſſionibus in *Mallinge*, *Herlaveperge*, *pabcheim*, *Vreiling*, *chevinge*, *Schaprvon*, *Huntfheim* &c.

CCCLXXXIV.

R. 312 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 127. f. min. eleganter exaratus, coloribus diſtinctus, et ſingulari forma literarum initialium e picturatis faſciolis diverſimode plicatis et volutis viſendus complectitur S. *Gregorii M. Pont. Homilias XL. in Evangelia.* Et quidem: *Incipit epiſtola Sancti Gregorij pape ad Secundinum tauromi-(ni)tanum episcopum. Reverentiſmo* &c. *Inter miſſarum ſollempnia* &c. ut edit. *Maur. Pariſ.* 1705. T. I. *col.* 1435. f. legitur tamen hic: *ſed eandem dubietatem poſtmodum certa enuntiatione correxi*, atque ita *Gregorium* ſcripſiſſe puto pro *dubitationem* et *enodatione* vel *notatione*. Epiſtolam excipit Elenchus *Homiliarii*, quod dein indiſtinctum in *Libros* II. decurrit praemiſſa cuivis *Homiliae* Evangelii ſui parte. Textus ſatis adcurate cum Editis conſpirat. Hiſtoriae *Chryſaurii*, ſive *Chryſaorii*, quod ego nomen e Χρυσος et *Aurum* confictum crederem, niſi *Gregorius* addidiſſet: *quem lingua ruſtica populus Chryſerium vocabat*, *Hom.* XII. nobis *fol.* 24. propria Rubrica gaudet. Ob iter noto, inſigne iſtud magni Pontificis Opus omiſſum eſſe ab *Hambergero* in *Zuverl. Nachr. von den vornehmſt. Schriftſt.* P. III. p. 462.

CCCLXXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. U. 182 Folior. 252. f. per duas columnas exaratus, rubricis diſtinctus, et olim datus *pro libraria collegiate domus ducalis* a *Nicolao kyenaſt de wienna* capellano ad Sanctum *Hieronymum* continet ſequentia: I. *Incipit prefatio beati Gregorij pape ad Secundinum Epiſcopum ſuper quadraginta Omelias.* Ita quidem: